

G

W

I 6 Z 4



Disciplinae speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia  
sensibili ita distingueretur, quæ triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
teria Physica et sensibili, quorum singulus singulare etiam consernit Discipline:  
1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulare; quo modo homo abstra-  
hitur à materia non omni, sed singulare solum seu conditionibꝫ individualibꝫ,  
et talis abstractio ē, q̄ assignatur Physica. 2. Alio abstractio fit à materia et signata  
et universaliter secundum rationem; Quemodo dicunt ea abstrahit, quæ in materia  
eadem revera sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abseverantur in apprehensione  
sue ab omni materia sensibili: Sic quantitas qđem p̄ se est in materia sensibili,  
sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
stractio secundum rationem competit mathesi. 3. Aliqua deniq̄ abstractio est, quæ  
fit à materia secundum rem et rationem, ut sicut in ipso, quæ non solum in ap-  
prehensione intellectus sine materia concipiuntur; sed etiam revera, ~~facta~~ et saltem  
ut sic materiam non habent. Pro modo Dei et Angeli abstractur à materia se-  
cundum rem et rationem, quia bi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
nec etiam aliqui scribent materiam, et hic istius modus ē, quem metaphy-  
sica sibi unice vendicat.

In metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
plinam ipsam: alia a. mediate et per accidentem et propter disciplinas  
alias, quarum subiecta praeconoscere debet metaphysica.

Og Kt. ir gC  
Og F.

Hipel!  
~~SSG~~

P. q. 4.

5

DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
QUARTA  
*De*  
ANALOGIA ENTIS, IN  
GENERE ET IN SPECIE,

*Quam*

ENTE purissimo & primo illo annuente,  
&

Amplissima Facultate Philosophica  
consentiente

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstad. Saxonis,

*In florentissimo ad Albim Athenæo*

*Publico Examini subjicit*

PETRUS MENTLERUS

Laubâ-Lusatus.

*in Collegio Veteri*

*Ad diem 5. Aprilis horis à septima  
matutinis.*


---

WITTEBERGÆ

Ex Typographeo CHRISTIANI THAM,  
Academ. Typogr.

---

ANNO M DC XXIII.



עַמְנָאֵל

DISPUTATIO METAPHYSICA

QUARTA.

De

ANALOGIA ENTIS.

CONTINUATIO.



N simplici Entis theoria proposuimus, post rationem essendi, etiam conceptum Entis proprium; cumque tam absolute, quam respective, considerandum, evolvendumq; sumsimus: illius quidem conten plationis studiis operabatur antecedens distribe; hujus autem instans erit meditationum calor. Quod dico, hoc est.

Conceptus Entis praeius & adaequatus consideratur vel in se idealiter, in idea absoluta; quatenus abstractione absoluta & naturali mentis operatione (uti loquuntur) distinctè formatur & apprehenditur; quomodo dicitur formalis & objectivus: vel deinde consideratur conceptus Entis in respectu ad inferiora, à quibus est abstractus, & ad quæ iterum est applicandus, quatenus comparatâ abstractione & Logica (ut dicere solent) operatione (de quibus operationibus & abstractionibus infra dicetur; interim cui libet inspiciat Exerc. Metaph. Dn. Jac. Mart. Exerc. 8. theor. 9.) perficitur; quomodo conceptus Entis dicitur Analogus. Et hæc causa est, cur nunc in ordine disputationum nostrarum Metaphysicarum agere volumus de Analogia Entis. Et quidem hic non modò de Entis Analogia fusius & accuratius erit disquirendū; sed insimul de Analogiæ ratione in universum sumpta: partim ex eo, quod tota contemplatio Metaphysica, secundum illam, sit instituenda & urgenda; adeoq; tota in illa analogia fundetur; partim quod commodior sedes, qua rectius explicetur vis Analogiæ, neq; in prima hac Philosophia, neq; in alia disciplina Philosophica (nisi forte in illa, quæ enucleatius præcipere debebat,

A 2

de quin-

de quinto habitu, nempe de Intelligentia; quæ tamen, quia adhuc desideratur, contra præsens nostrum institutum haut veniet ) commonstri poterit. In primis solec hic ruminare, & per pondere illud eruditum monitum Excell. Philos. Dn. Jac. Mart. Præcept. nostri honoratiss. quo publica in disputatione fideliter docebat; *Analogiam esse causam descensus in Metaphysica.* Subtile dictum! Analogiae essentiam ostendens, non statim ostendit esse ipsius; quod aliter se semper habet in analogatis, quibus applicari solet: univocum verò (v.g. Animalitas) quia habet eandem rationem, in omnibus speciebus; in uno sufficienter ostendi potest. Quæ cum sint verissima, nunc præsenti in disputatione altius Analogiam Entis si expenderimus; nihil vel contra rationem methodi, vel præter rem reive necessitatem, suscepimus. Faxit Deus omnis Sapientiae & Veritatis fons & fundus, ut quæ intendimus, & verè & planè perficiamus! Sit ita

THESSIS I.

Uti *conceptus Entis* absolute sumptus, ut sic, erat præcisus ab inferioribus omnibus; ita etiam omnibus applicari & attribui potest, debetur; quemadmodum illud de quibuslibet universalibus verissimum esse constat. Sunt quippe essentia-lalia latiora, & intrinsecè continentur in suis inferioribus sive speciebus, sive modis specificis, sive individuis. Inst per præscinduntur quidem isti *conceptus universales* à suis particularibus, sed saltem secundum rationem (quoad esse proprium, si-ve quoad objectivam rationem) non vero secundum rem.

II. Et quidem hoc magis verificatur in conceptu *Entis generalissimo*. Quandoquidem illa abstractio, qua adæquatus & ob-jectivus iste conceptus exsurgit, non simpliciter est exclusiva; nempe per separativam præcisionem, conceptus *Entis* ab aliis, sub ipso contentis: cum hoc nequeat fieri, propter illimitatam rationem & transcendentiam; quippe qua sit, ut ipsum *Ens*, in rationibus propriis, cuiusq; *Entis*, aut modi particularis, imbibatur; Sed duntaxat simplex hic intercedit abstractio; quæ tantum est per cognitionem præcisivam, conceptus confusi,

à di-



*à distincto & determinato; qua cognitione concipitur Ens non distinctè & determinatè, prout in re; sed juxta illam similitudinem, quam cum aliis rebus fortit, eoq; non excludendo, sed præcisè tantum abstrahendo; ut accuratissimè docet Clar. Dn. Jac. Mart. in Praelect. Metaph. priv. Ut etiam ex antecedente nostra disputatione constare poterit uberiorius.*

*III. Sic ergò disquirendum, quomodo conceptus Entis, sive ipsum Ens se habeat ad inferiora; vel, quomodo illis applicetur aut tribuatur; & postmodum de ipsa contractione Entis quædam attingemus.*

*IV. Primo autem facile constat, quod in illa relatione seu comparatione conceptus Entis non sit æquivocus. E dictis enim in antegressis disputationibus innotuit: dari Entis unum conceptum, qui non modò exprimat convenientiam omnium rerum in voce hac Entis; sed insuper importet convenientiam realem secundum illam vocem; quando nempè omnia, quæ sunt, representat convenire in rō esse. At verò Æquivoca non pariunt unum conceptum; neq; commune habent quiddam ratione definitionis, sed saltē in voculatione conveniunt; uti notissimum est ex Logicis.*

*V. Adde quod Æquivoca non pariant scientiam, neq; prædicata habeant essentialia, in quæ possint dividi; neq; de illis possit certi aliquid affirmari, propter suam indistinctionem. Quæ omnia secus habent in Ente. Hoc enim constituit scientiam; præbet prædicata essentialia; resolvitur in Actum & Potentiam &c; Itemq; multa super illa sunt enunciata. E. palam est conceptum Entis non esse Æquivocum.*

*VI. Qualis ergò erit? Sanè aut Univocus aut Analogus; quippè alius attributionis realis modus, præter hosce duos, non datur; & hactenus alius est manditus. Jam & hoc facile probatur conceptum Entis non esse Univocum. Univoca enim æquè primò conveniunt, & æquali attributione dicuntur; quod non est de Ente dicendum; quippè quod inæqualiter, nem-*

pè uni primariò, alteri secundariò attribuitur. E. erit Analogus.

VII. Quod ipsum ut accuratius teneamus, & felicius urgeamus, aut usurpemus, ubi opus erit (opus autem erit frequentissimè ut ex usu hujus doctrinæ constabit, mox apponendo) hīc quid Univocus & Analogicus conceptus sit, expedit exposuisse atq; supposuisse.

VIII. Univocus autem conceptus definitur, qui aptus natus est pluribus æqualiter tribui & inesse. E.g. Animal est æqualiter in homine & bestiis, & utriq; æquè primò tribuitur. Item, corpus æquali modo se habet in lapide, ligno, ferro, & reliquis corporum speciebus. Ex æquo enim dicitur; lapis est corpus; ferrum est corpus; lignum est corpus: Item, æqualiter istis singulis competit definitio corporis; utpote, lapis est substantia corporea; ferrum est substantia corporea; lignum est substantia corporea; ubi neutrum suam definitionem & essentiam habet dependenter ab alio. Sic etiam virtus æqualiter inest Fortitudini & Temperantiae. Nam Fortitudo æquè virtus est ac Temperantia, & è converso, Temperantia æquè virtus est, ac Fortitudo. Sunt ergò illa omnia univoca respectu suorum inferiorum, quibus essentialiter attribuuntur. Et hanc Univocationem intelligunt Thomistæ, quando impugnant opinionem Scoti de Univocatione Entis. Et hoc modo nos dicimus conceptum Entis non esse Univocum.

IX. Paulò 'aliter' alii hīc censem. Scotus i. sent. distinct. 3. q. 1. ad lit. B. ita fatur: Conceptum Univocum dico, qui ita est unus, quod ejus unitas sufficit ad contradictionem affirmando & negando ejusdem de eodem. Sed recte Cl. Dn. Gutk. Contempl. Metaph. disp. 13. ipsum accusat maximæ confusionis; ut ut aliás subtilissimus meritò deprædicetur Philosophus. Nempe que Scotus adscribit hic univoco conceptui, illa etiam reperiuntur in Analogo. E.g. Amicitia est conceptus Analogus respectu

spectu Amicitiae honestæ, jucundæ & utiliss; & tamen hic ita est communis, & unus suis analogatis; ut si quis dicat, utili-  
am amicitiam non esse amicitiam , involvat contradic-  
tionem.

X. Philipp. Faber Favent. in Phys. Scotith. q. 5. c. 1. duas con-  
ditiones circa controversiam ad Univocum requiri dicit ; ex qui-  
bus prima est , quod univocum habere debeat conceptum per se  
unum , distinctum à conceptu inferiorum. Secunda quod iste con-  
ceptus debeat esse inclusus in suis inferioribus. Verum & in hisce  
Faventini verbis eadem manet confutio. Primò cum nihil  
adferat , quo Univoca distinguantur ab Analogis ; istæ enim  
duæ conditiones similiter conveniunt Analogis. Insuper , ut  
accuratè hīc notat Dn. Gutk. d. l. non distinguit inter Univo-  
cum , quatenus Logicè sumtum designat respectum formalem Lo-  
gicum & notionem secundam generalissimam : & quatenus  
aequalē aptitudinem effendi in multis designat , uti hoc in lo-  
co accipi debet. Priori modo determinat essentialē respectum  
ad inferiora , seu potius notionem secundam essentiali-  
rerum ad inferiora respectui impositam. Unde prædicatio  
Logica Univoca , seu in abstracto , oritur ; complebiturq;  
Univoca specialiter sic dicta & Analogia . ( possemus tamen  
alias distinguere inter Synonyma & Univoca , qua de re in  
Logicis ) Hac autem ratione omnes concedent docti Ens esse  
Univocum Logicum , hoc est , ( si placet distinctius loqui )  
Synonymum: nimirum hæ enunciationes; Substantia est Ens;  
Accidens est Ens ; omnino sunt essentiales ; non vero paronymi-  
cas ; quemadmodum & hæ ; Amicitia utilis est benevolentia  
mutua , sive Amicitia ; item , Amicitia jucunda est amicitia ;  
ubi prædicata non sunt extra essentialē subjectorum. Quæ si  
observarentur , non inseitè dici potest , quod Scotistæ & Tho-  
mistæ hac in re re verâ non dissentirent. Licet isti Autho-  
res planè nolint se conciliari. Confer Dn. Gutk. d. l.

XI. Ex

XI. Ex his jam inclarescit i. quod aptitudo effendi in multis  
equaliter, gignat conceptum Univocum: cum ejusmodi sit urgen-  
da univocationis acceptio, qua univocum conceptum distinguat  
ab analogo. 2. quod conceptus Entis non sit Univocus, ut id ipsum  
in quest. dilucidatione probabitur fusius.

XII. Cæterum Analogus conceptus est, qui diversa habitu-  
dine respicit sua inferiora, sed ita, ut inferiora in nomine omnino  
conveniant, in Definitione non omnino convenire possint; nec tan-  
men omnem, quoad definitionem, convenientiam excludant.  
Ut describit Dn. Gutk. disp. Metaph. 13. Breviter ita dico; Ana-  
logus conceptus est, qui inæqualiter, sive non æquè primo inest  
suis speciebus, aut inferioribus, adeoq; de uno dicitur primario; de  
altero vero δοτέως, & secundario. E. g. Sanitas dicitur de Ani-  
mali, de Urina & de Medicina, sive medicamentis: utpote re-  
ctè dico; Animal est sanum; Urina est sana; Medicina est sa-  
na; sed Analogicè, ita ut περιστώς sanitas sit in animali; dein-  
ceps secundario saltem in urina & medicamentis. Hac enim  
sunt & dicuntur sana non nisi in respectu & dependentia ad sani-  
tatem animalis. Quod si animal non esset sanum, neq; urina,  
neque medicina posset dici sana; non vero contra. Sic urina  
dicitur sana representativè; quatenus nempè signat illam pro-  
priam sanitatem, quæ est in animali illo, cuius ista est urina:  
quomodo ex inspectione urina Medici solent sanitatem hominis  
djudicare. Sic itidem Medicina dicitur sana effectivè, quate-  
nus efficit & conservat illam propriam sanitatem; quæ est in  
animali. Et porrò in aliis analogis, sit inæqualis attributio.

XIII. Sed quia summè interest Metaphysicæ theoriæ Ana-  
logiam rectè novissè; illius ratio, & conditio venit evol-  
venda. Vox Analogia Græca est, significans proportionem ali-  
quorum inter se. Sic Aristoteles dicit, Analogiam esse ισόητα &  
λόγης. Eth. quasi sit comparatio & proportio. Sic ἀνάλογος  
dicitur ad proportionem similis; aut ad proportionem respon-  
dens. Sic ἀνάλογον alicui esse dicitur, quod ad aliud proportione  
& natu-

Et natura quadam constitutum Et comparatum est; quid sensu Aristoteles 2. de An. ait; αὐτὸν εἶχε τῷ σώματι αὐτόλογον, ἀμφω τῷ ἔλκει τῷ τρέφει. Sic & Αὐτόλογον, adverbialiter quandoq; possumus, significat instar & similitudine rationis redditur.

XIV. Atq; ex hac vocis, Αὐτόλογίας, notatione, quidam recentiores reprehendunt illam Scholasticorum distinctionem; qua dispescunt analogiam, in Analogiam Proportionis, & Attributionis. Qua dñe etiam Zabarell. lib. de const. Phys. cap. 10. ita loquitur; Opinantur multi Analogum esse id, quod ab Arist. q. Met. vocatur ab uno sive ad unum; decipiuntur tamen; quia in iis, quae ab uno, seu ad unum dicuntur, est pendentia necessaria aliorum ab uno, quatenus talia sunt. Accidentia namq; ea ratione sunt entia; quatenus inherent substantia, quae primariò dicitur Ens: Et sana omnia ideo dicuntur sana quia referuntur ad corporis sanitatem, quae finis est. At unum Analogum nihil aliud est, quam unum proportione; etiamsi nulla sit pendentia aliorum ab uno: ut membrum illud, quod in corpore animalis, principium Et fons vita est; unum est analogia. Non enim in omnibus est cor; sed vel cor, vel quid cordi proportione respondens Et c.

XV. Et quidem hæc secundum locutiones Græcorum admitti possent, vel si in Philosophia voculationes potius, præterum ponderatione attendi deberent. Verum Latini Et acutiores Philosophi vocem Analogia ampliant, eamq; latius extenderentes, præter illam proportionem, adhuc attributionem analogicam ussumunt; & ita derivationem ab uno principio, vel habitudinem ad unum finem, hoc nomine Αὐτόλογίας, significare solent.

XVI. Quod si nego Græcos, neq; Latinos velis offendere, urgendum esset, quod Analogum non opponatur proprio; sed Univoco Et Metaphorico. Hinc ex mente Latinorum Philosophorum diceretur; omnem conceptum proprium, esse vel Univocum, vel Analogum; ita, ut analogus distinguitur in analogum per

portionem, & per attributionem; ubi tamen ipsa proportio reducatur quasi ad analogiam, cum habitudinem proportionatam in se continere videatur. Juxta Græcorum locutionem triplex constitueretur conceptus proprius; nempe *Synonymus*, *Analogus* & *conceptus*, ἡ οὐδὲ Εἰσὶς εἰναὶ, qui ultimus à Latinis dicitur *analogus* per attributionem.

XVII. Sed usum præsentium terminorum ut urgeamus, malumus cum Latinis statuere, adeoque ponimus, quod *Analogia* sit duplex, vel *Proportionis*, vel *Attributionis*.

XVIII. *Analogia secundum proportionem* est, quando nomen aliquod commune est multis, & ratio, secundum illud nomen, est similis secundum proportionem. Definiente Dn. Gutk. in *Contempl. Met. disp. 13.* E. g. *Radix plantæ* dicitur os, non nisi secundum aliquam similitudinem, & proportionem: quia nimirum ut ore sumimus cibum; sic plantæ per radices, sugunt & attrahunt nutrimentum. Item *Veritas secundum analogiam proportionis* tribuitur non modo Entibus realibus; sed etiam non-Entibus. Sic dico; *Syllogismus* est verus; *propositio* est vera. Et hac analogia pes dicitur de pede animalis; & de pede montis, sive mensæ, aut Scamni; (utpote dicimus est pes in mensa, Scamno &c.) Scilicet nomen hic est commune utriq[ue], sed ratio sive definitio quamvis absolute sit distincta; est tamen eadem secundum proportionem. Ut enim pes animalis sustinet & portat gravitatem animalis; ita etiam pes montis, (mensæ ac Scamni) sustinet & portat quasi gravitatem montis &c.

XIX. Clariss. Dn. Jac. Mart. *Exerc. Metaph. 3. th. 3. item. 8. th. 5.* ita discurrit. *Hæc (analogia proportionis) sumitur ex proportione plurium rerum in ordine ad aliquos terminos;* & constituit in hoc, quod principale analogatum denominatur tale à sua forma, absolute considerata; aliud vero similem quidem recipit denominationem à sua forma; sed non absolute considerata: verum quia in ordine ad illam servat quandam proportionem cum habitudine primi analogati ad suam formam. Rem exemplis decla-

declaro. Tòridere tribuitur & homini latto, & pratis floridis;  
& quidem secundum analogiam proportionis: ubi ista vox utriq;  
tribuitur, ob illam similitudinem & proportionem, quam  
inter se habent homo latus, & pratum floridum; ita tamen,  
ut homo, ceu principale analogatum, hujus vocis ridere, primò  
ita denominetur, & absolute dicatur ridere; prata vero ridere  
dicantur secundario, & in respectu ad hominem latum; cum quo  
floriditas pratorum habet aliquam proportionem & simili-  
tudinem. Ut enim risus se habet in homine respectu laticiae;  
ita se habet risus agri sive prati respectu amoenitatis. Sic oculus  
tribuitur etiam menti secundum proportionis analogiam;  
quatenus habet similitudinem cum corporis oculo; qui ab-  
solutè hoc nomine insignitur. Sic vox lupi secundum pro-  
portionem & relationem istius animalis rapacis; (quod lupus  
propriè appellatur) etiam pisci cuidam, (qui Germanis dici-  
tur Hecht /) item planta cuidam, quæ communiter lupulus di-  
ci solet; item instrumento adunco, quo vasa, quæ in puteum for-  
tè ceciderunt, extrahuntur; item homini rapaci. Quæ omnia  
hac Lupi voce veniunt in respectu & proportione ad illum  
lupum verè & absolutè ita dictum eò; quod cum illo in ra-  
pacitate convenient. Sic sitire & bibere, dicuntur animalia,  
& arbores & segetes &c.

XX. Rectè autem monet insuper Dn. Jac. Mart. d. l. de  
hac analogia proportionis, quod semper aliquid improprietas  
involvat. Verba ejus ita habent. Hæc analogia semper aliquid  
metaphoræ & improprietas includit. V. g. Homo dicitur ride-  
re à proprio actu ridendi absolute sumpto; pratum vero ridere  
dicitur à viriditate sua, non absolute; sed ut servat propor-  
tionem quandam pratum viride ad hominem ridentem: atq; ita per  
translationem metaphoram ridere de prato dicitur. Sic ho-  
mo pictus dicitur homo; cum tamen duntaxat æquivocè &  
propriè sit homo; nempe exemplar & effigies hominis.  
Plura vide apud Dn. Gutk. Contempl. Metaph. disp. 13.

XXI. Porrò *Attributionis analogia* dicitur, quando nomen est commune; ratio autem secundum illud nomen est eadem secundum terminum; sed diversa, juxta habitudines ad illum. E.g., *Sanum* tribuitur *Urinæ & animali*. Hic ratio sani est eadem ex parte termini; sed est diversa habitudo ad illum terminum. Èadem enim sanitas denominat tūm animal, tūm urinam; sed animal primariò possidet sanitatem, quæ urinæ secundariò competit. *Dn. Gutk. contempl. Met. disp. 13.*

XXII. *Aristoteles* quidem nullibi hanc *Attributio*nis analogiam vocat analogiam; sed illam, quæ est secundum proportionem, simpliciter appellat analogiam. *lib. 8. Met. t. 6. 2. post. Anal. c. 16.* Hanc autem semper exprimit per hæc verba; ἀφ ἐνὸς οὐκι τοῖς ἐν, ab uno ad unum *lib. 7. Met. t. 2. lib. 1. Eth. c. 6. cō*, quod posteriori tribuitur, tribuatur ipsi per prius. Quia tamen usus hodiè obtinuit, ut analogiam Philosophi ita sumant, explicit & urgeant; meritò & nos analogiam ita retinemus, & distinctè proponimus; cum insuper certi sumus, non sine causa & expedientia id fieri.

XXIII. Accuratè *conceptum* ἀφ ἐνὸς οὐκι τοῖς ἐν describit Zabarell. *lib. de const. scient. Phys. loco supra citato.* nempe quod in iis, quæ ad unum sunt, sive ab uno ad unum dicuntur, sit pendentia necessaria aliorum ab uno, quatenus talia sunt. Accidentia namque, inquit ibidem, ea ratione sunt entia, quatenus inhærent substantiæ &c. *Repete thesin 143. Et consule Arnisæum in notis ad Log. Crell. p. 58.*

XXIV. Notandum verò quod *Analogia attributionis*, duplifici modo contingat; 1. quando *forma* denominans uni analogorum inest intrinsecè, alteri verò extrinsecè. Sic sanitas intrinsecè est in animali, quod dicitur *sanum*, sanitate inhærente; extrinsecè in *urina*, quæ dicitur *sana*, sanitate externa denominante. *Dn. Gutk. d. l.* Idem inculcat Cl. *Dn. Jac. Mart. Exerc. 3. tb. 3. Et 8. tb. 4.* Verba ejus lubet adscribere, cum exinde forsitan res dilucidior sit futura. Ita verò loquuntur:

tur: *Analogia attributionis* duobus fit modis. 1. quando forma de-nominans intrinsecè in uno tantum est extremo; in ceteris vero duntaxat intrinseca habitudo ad illud. Sic sanum absolutum di-citur de animali, quia illi formaliter inest; de Medicina vero & urina per habitudinem & attributionem ad animal. Quomodo hac analogia, priori modo ita dicta, iterum sit vel mediata, vel immediata, vide d.l. 2. (alter modus analogiae attributionis, fit, quando forma denominans inest intrinsecè utrique analogato, sive in utroq; extremo; quamvis in uno absolute, in altero vero per habitudinem ad aliud reperiatur, sive dependenter ab ipso. Sic non sentire tribuitur & corpori & animæ in-trinsecè per analogiam attributionis; primo autem & absolute competit animæ, secundario & dependenter corpori; quatenus nempe hoc unitum est cum anima, quæ est principium radicale & primum sentiendi. Et hæc analogia ubiq; in tota Metaphysica, & non raro in aliis disciplinis, floret vigetque, ut mox constabit fusius.

XXV. Sunt, qui adhuc alios analogiae modos addunt, ut-pote Cajetanus habet analogiam inæqualitatis, qua tamen (ut monet Dn. Gutk. disp. Met. 13.) quia nihil aliud est, quam inæqualis perfectio ejusdem generis (univoci) in suis diversis speciebus; quomodo, v. g. animal se habet ad vermes & hominem; item corpus ad coelum & lapidem &c. hic non adeò curatur. Etenim non negat univocationem, utpote vermes dicuntur animalia, non secundum analogiam, sed univocationem. Nam vermes non habent animalitatem in habitudine ad hominis animalitatem; nec eandem, homine per possibile non existente, amittunt. Nobilior quidem forma est in homine; sed illa non statim infert analogiam, quia vermes ab ista forma non dominantur. Et hanc analogiam Ruv. Rod. in com-mentario ad Log. Arist. vocat analogiam Physicam, quia proce-dit ex diversis formis Physicis, majoris & minoris perfectionis. Alii insuper faciunt analogiam proportionalitatis, de qua vide-

Suarez. t.2. disp. 28. Met. Sect. 3. n. 10. Et c. Item disp. Met. 32. sect. 2. n. 12. Et c. Item Ruv. Rod. tract. de Analog. comment. in lib. cat. reg.

XXVI. Deniq; summo perè necessarium est, & maximè fructuosum, ut teneas illam *analogiam*, quæ contingit per remotionem omnis imperfectionis, & per attributionem perfectionis; qualis est inter ea, quorum unum de conceptu aliquo participat praedicaliter, alterum eminenter. E. g. *Intelligere* tribuitur & homini & Deo. At verò quomodo? non sancè univocè, sed *analogicè*: non æquali modo, sed *in aequaliter*. Et quidem hic urgenda est analogia præsens, ita ut quando *intelligere* applicetur ad Deum, omnis imperfæctio removeatur, quæ aliàs est in intellectione humana. Quod enim homo quædam saltem intelligit, id propterè de intellectione Dei non est putandum; quod homo discurrendo intelligit, id tanquam imperfæctio summa, à Deo removendum, si rectè velis & intelligere Deo attribuere. Deus enim intelligit simplici rerum ideâ per suammet essentiam, ut infra attingetur. Et ita similiter in multis aliis.

XXVII. Interim attendes, quod ejusmodi analogia oritur ex distantia rerum. Rectè monet Soncinas 4. Met. q. 5. duplē esse distantiam. Una est, quando aliqua distare dicuntur in infinitum, ex sola infinitate alterius extremi; qua ratione distant Deus & creaturæ, quia ipse est entitatis infinitæ. Altera distantia est, qua quædam, dicuntur distare in infinitum non ex infinitate alterius extremi; sed solum, quia unū ad aliud nullā habet convenientiam; nec potest adsignari aliqua natura, in qua quovis modo convenient; quomodo distat Ens reale ab ente rationis. Hæc posterior distantia infert equivocationem; illa verò prior *analogiam presentem*, & *eminentiam*. Facit enim, ut enti infinito, quam eminentissimè, tribuantur attributa illa; quæ aliàs etiam solent dici de finitis rebus. Hinc analogiam talem dicere possumus *analogiam eminentie & perfectionis*;

*ctionis*; ita ut illa eminentia & perfectio (ratione attributio-  
nis) oriatur & promanet à nobilitate rei, cui eminenti modo  
prædicatum applicatur. Datur insuper adhuc quædam emi-  
nentia in Logicis, qua ostendunt nonnulli, etiam illas res  
Logicè tractari posse, quæ non habent potentiam obedien-  
tialem ad recipiendam notionem generis, vel speciei, vel dif-  
ferentiæ &c. ut sunt *conceptus transcendentes & mystici*. Sed  
illa in Logicis commentationibus accuratioribus evolven-  
da est. *Interea consulatur Dn. Gutk. in disp. Log. &c.*

XXVIII. His omnibus expositis & præsuppositis non po-  
terit esse obscurum. 1. *Totam Metaphysicam esse analogam sem-  
perq; analogiam attributionis attendere in suis terminis, vel  
constituendis & generandis; vel applicandis & usurpandis.* Quia  
enim objectum ejus est generalissimum, quod commune est  
omnibus, quæ esse habent, facile appareat, quod illis omni-  
bus non possit eodem modo attribui, sed secundum quan-  
dam analogiam. Quod si est, omnem contemplationem ter-  
minorum reliquorum Metaphysicorum oporteat adsumere,  
& redolere analogiam. 2. *Conceptum Entis non esse univocum,  
sed analogum: id quod tota præsens intendit disputatio.*

XXIX. Atq; hoc ipsum accuratè ut teneas, (quia neces-  
sarium est in Metaphysicæ contemplatione) attendas; quod  
conceptus Entis, uti præcisus est, à substantia & accidente;  
vel à Deo & creaturis; ita similiter in respectu ad illa imme-  
diatè inferiora consideratur; quomodo scilicet in ipsis se ha-  
beat, utrum univocè, an analogicè; & qualiter ipsis compe-  
tit. Ubi nunc dicendum erit, Ens non esse eodem planè mo-  
do in Deo tanquam infinito; ac est in creaturis, tanquam fi-  
nito ente; non itidem in substantia & accidente æqualem  
esse entis participationem. Hoc ergò est, quod determinan-  
dum & inquirendum restat; quod Ens, seu conceptus Entis,  
ad Deum & creaturas collatus; itemq; in respectu ad substan-  
tiæ & accidens, sit analogicus; atq; ita ad hæc sua inferiora  
juxta modum analogi contrahatur.

XXX.

XXX. In primis hoc inde est, quia Ens per se & essentialiter postulat hunc ordinem descendendi prius ad substantiam, quam ad accidens; & ad substantiam per se, ad accidens vero propter substantiam, & per habitudinem ad illam; ut recte docet Suar. disp. Metaph. 32. sebt. 2. Scilicet accidens inest in substantia per se, & subjectivè ab ipsa dependet; neq; secundum suum esse in statu naturali esse potest sine substantia. Similiter ipsum Ens, quamvis abstractè & confusè acceptum, ex sua possumat hunc ordinem; ut primo ac per se, & quasi completem, competit Deo; & per illum descendat ad reliqua, quibus non nisi cum habitudine, & dependentia à Deo, insit. Quandoquidem in recipsa creature non participant rationem; nisi cum subordinatione quadam essentiali ad Deum; cum essentialiter sint entia ab ipso. E. Ens in hoc deficit à ratione univoci. Nam unicum ex se ita est indifferens, ut equaliter & sine ullo ordine, vel habitudine, unius ad alterum, ad inferiora descendat. E. analogia entis sic appareret.

XXXI. Præterea genus analogiae, quod hic locum habere possit, non minore curâ attendas. Multum enim errabis, si statueris nihil interesse sive analogiam proportionis, sive attributionis, in Ente urgeas.

XXXII. Sunt qui opinantur analogiam proportionalitatis hic intereedere, ut Thomas quest. 2. de Verit. art. 11. & Cajet. Opusc. de Ente & essentia quest. 3. Alii utrumq; analogiae modum admittunt, de quibus vide Suar. d.l. disp. 28. Nos breviter secundum rei veritatem hic acturi dicimus; non intervenire propriè Analogiam proportionalitatis, sed attributionis tantum. Non quasi nequeat hic considerari proportio quadam, quâ sicut substantia se habet ad suum esse; ita accidens ad suum. Nam sicut re vera in re ipsa est proportio; ita etiam potest à nobis considerari; Sed accidens neg̃ est, neq; denominatur ens propter hanc proportionem, sed propter intrinsecum esse; per quod in ordine entium constituitur. Quando vero pro-

portio

portio rem non denominat, ita ut taliter dicatur, quatenus substat proportioni isti, vel comparationi ad alium; jam non est sufficiens ad analogiam proportionis constituerdam. Confer Suar. disp. Met. 28. sect. 3. n. 10. Et c. Adde quod vox *Analogia* secundum proportionalitatem dupli impositione significat sua significata; una propria, altera per translationem & Metaphoram propter nonnullam similitudinem & proportionem, ut ex thesibus praeced. innotuit. At hoc non est in Ente, sed unâ impositione & quidem propriâ significat quicquid aliquo modo habet esse, iterum Suarez. disp. 32. f. 2. n. 13. recte docet.

XXXIII. Consecutarium proinde est hîc tantum esse analogiam attributionis; quam Arist. i. Eth. 6. tenet; ubi ait, *Ens esse analogum* & dici per prius & posterius; quia quod est per se (scilicet substantia) prius natura est eo, quod ad aliquid (id est, ad substantiam ipsam) dicitur, nec est accidens. Et 4. Metab. 2. ait; *Ens multipliciter dicitur verum ad unum*; & comparatum sano, quod est analogum attributionis. Atq; idem repetit lib. 7. c. 4. & lib. 11. c. 3. & lib. 12. c. 4; ubi etiam declarat, reperiri quandam proportionalitatem inter principia accidentis & substantiae; non tamen dicit analogiam Entis positam esse in hac proportionalitate, sed in explicatione; quemadmodum explicat Suarez. d. l.

XXXIV. Quia vero *Analogia attributionis* duos habet modos; insuper observandum, hanc *Analogiam Entis* non esse prioris modi, sed posterioris; quae analogia dicit formam sive rationem formalem intrinsecè inventam in omnibus analogatis cum aliquo ordine, vel habitudine eorum inter se. Scilicet *Ens intrinsecè & essentialiter predicatur tam de rebus creatis, quam de Creatore sive Deo*; quia enim creature sunt & existunt, proprium & intrinsecum esse habeant necessum est, licet illud ipsum habeant in ordine & pendentia ad creatorem sive Deum, à quo sunt. Deus vero quia à se & per se est, intrinsecam essentiam habere palam est. Similiter recte Suarez disp.

32. ait; *Accidens non est Ens per denominationem extrinsecam à substantia; sed per intrinsecam suam entitatem, secundum quam habet suum proprium esse.* Est enim aperta repugnantia, quod aliquid sit *ens reale* per extrinsecam denominationem. Nam sola denominatio extrinseca nihil rei ponit in re denominata. Est ergo hæc analogia cum intrinseca habitudine, seu inclusione formalis rationis Entis, tam in accidente, quam in substantia. Unde fit hanc analogiam non posse in alio consistere, nisi in hoc; quod illamet ratio formalis Entis non omnino equaliter & indifferenter descendit ad *accidens* & *substantiam*, sed cum quodam ordine & habitudine, quam per se requirit, nimis ut prius sit absolute in substantia, & deinde in accidente cum habitudine ad substantiam.

XXXV. Sic ergo satis superq; apparet; quomodo conceptus Entis sit analogicus, secundum analogiam attributionis; adeoq; inæquali attributione competit Deo & creaturis; itemq; substantiæ & accidenti: restat ut de contractione ipsa, secundum se quî fiat, coronidis loco aliquid subjiciamus.

XXXVI. Hac de re breviter dico. *Contractio* sive determinatio conceptus objectivi Entis ad inferiora non est intelligenda per modum compositionis; sed solum per modum expressoris conceptionis alicujus Entis contenti sub ente, ita ut uterq; conceptus tam Entis, quam substantiae simplex sit & irresolubilis in duos conceptus, solumq; differant, quia unus est magis determinatus, quam aliis.

XXXVII. Non enim per aliud superadditum contrahitur Ens; id enim Entis ratio illimitata, & transcendentia non permittit eò, quod essentialiter includat omnem entitatem, si quæ vera est. Nihil ergo Entis enti ut sic superaddi potest; nisi forsitan idem superaddi deberet sibiipsi, quod inconveniens est ex parte rei.

XXXVIII.

XXXVIII. Et tandem determinati Entis conceptus sunt & quæ simplices, ac ipsum Ens. Sic substantia, accidens, simplex, compositum; finitum, infinitum, singulare &c. non resolvuntur in duos conceptus, quasi per additionem aliquam, fuissent contracta, sed sunt & quæ simplices conceptus, ac conceptus Entis ut sic, saltem sunt expressiores & magis determinatae conceptiones. Explicari hoc potest aliis etiam exemplis, quæ non differunt, nisi ut expressum & confusum circa aliam additionem veræ differentiæ. E. g. quantitas dicitur bicubita, dicitur tricubita &c. ubi bicubita significat quantitatem determinatam, sed tamen eam & quæ simplicem ac ipsa quantitas simpliciter eam indicat. Nequè enim bicubitum potest resolvi in quantitatem, & aliquid amplius, quod quantitas non sit. Item exemplum est in calore ut sic, & calore ad quatuor gradus: in sapientia simpliciter, & sapientia increata &c. Hæc nunc ita dicta sunt quoad theses.

Uſus & Abuſus doctrinæ  
DE ANALOGIA ENTIS.

Uſum hujus doctrinæ ferè infinitum esse in Metaphysicis contemplationibus, non obscurum est; tūm ex protœmio nostro, tūm etiā ex ipsis thesibus. Nisi enim urgeas Analogiam Entis, non poteris non & s̄apissimè decipi, & frequenter à vero aberrare. Quod si forte illa adhuc dubia videretur, audiatur saltem Cl. Dn. Jac. Mart. qui *in speculo Ration. lib. 2. c. 44.* ita scribit; Non sufficit scire vim vocis & conceptum, (*Entis*) sed eruditos oportet intelligere, qualem habeat respectum attributum illud Ens sive Essentia ad Deum & creaturas; si id ipsum non intelligitur, dupli modo vehementer potest errari; i. Ubi multi ex Ente in respectu ad Deum & Creaturas faciunt genus univocum, quasi planè eodem modo Deo & creaturis tribuatur; uti Scotus & alii somniarunt. Qui error certe non est exiguus; quo primū Deo & creaturis aliquid simplici-

ter commune constituitur; unde sequitur, vel aliquid essentiae  
Dei esse de essentia creaturarum; vel aliquid essentiae creatura-  
rum esse de essentia Dei: unde creature ex parte Dii fiunt, &  
Deus ex parte creaturis adaequatur. Postmodum exinde tollitur  
summa Dei simplicitas. Nam ubi genus univocum statuitur, ibi  
insimul & differentia determinans illud ad certam speciem ponit  
tur, quæ est instar formæ, uti illud est instar materiæ. Quo ite-  
rum Deus negatur, & infinita essentia mutatur in finitam &  
creatam essentiam. Quæ sane omnia maxime sunt blasphemæ  
& horrendi errores. 2. qui nescit discernere inter attributa & eis  
aut analogæ & univoca, poterit etiam in opinionem incidere  
talem; ut statuat eum, qui in Metaphysicis Ens sive essentiam  
considerat, idq; Deo & creature attribuit, oportere Ens sive es-  
sentiam ut univocum genus adsumere. Quæ somnia omnia ex  
ignorantia Metaphysicæ proveniunt, uti id ipsum in Schillin-  
gianis satis superq; videre est. Confer ipsum ibidem. Præterea  
ubiq; & in omnibus, sive speculationibus, sive consultatio-  
nibus, usus erit insignis; quando exinde non modò rationem  
univoci & analogi cognoveris, atq; dignoveris; Sed etiam  
applicationem terminorum univocam ab analogica distinguen-  
dam percepis. Utilissima sane ista doctrina, & digna, quæ  
omnium oculis obversetur! Nam (prò dolor!) quot & quan-  
ti errores ex mala terminorum applicatione oriuntur? Ad-  
dam unicum hīc saltem exemplum. Cur Photinianus non  
credit Deum generasse filium ab æterno, sibi ὄμογον? quia,  
inquit, producens & productum non sunt ejusdem & æqua-  
lis conditionis; cum productum semper sit ens creatum &  
dependens. En! unde tantus oritur error? ex eo profecto,  
quod terminus generationis univocè sumatur in respectu ad  
univocam illam generationem divinam, cum naturali gene-  
ratione; ut ita univocè illam generationem Deo applicari  
putent, cum tamen analogica debeat adsumi attributio: &  
quidem analogia eminentia, ut constare poterit ex thesi no-

stra 26.

stra 26. Sed ut melius & felicius univocationem & analogiam usurpes, è dictis recognoscas, quod tum univocam conceputus applicationem adhibere liceat, quando ipsum, quod conceputus aliquis de formalis dicit ( hoc est, ratio ejus definitiva & essentialis ) inest omnibus equaliter ita, ut unum non referat alteri essentiam & nomen acceptum. v. g. Generationis terminus tribuitur homini, leoni & equo univocè; quia homo, leo & equus æquali modo generare dicuntur, ita, ut nulli horum competit generatio in comparatione sive dependentia ab alterius generatione; nec genitum ab homine refert suam essentiam acceptam leoni, aut contra. Sic virtus univocè applicatur ad temperantiam, fortitudinem &c. quibus æquè primò inest. Verùm quando termini alicujus ratio non æquè primò inest omnibus, de quibus solet dici, tum non fit univoca, sed analogia applicatio. Item quando ratio per terminum importata uni tribuitur in ratione prædicamentali, alteri vero in vi eminenti; itidem fit analogica applicatio, & nequaquam univoca; uti hæc omnia ex thesibus 12. 23. seq. cum primis ex th. 25. & 26. derivantur & constant. Et hic usus illustris est, non modò in tota Philosophia; sed potissimum in summis etiam mystériis & fidei articulis, rectè explicandis & propugnandis. Sit exemplum; credimus re verâ ore manducari corpus Domini-  
cum, in & sub pane eucharistico. Clamat hîc adversarii, quo-  
modo id fieri possit? qui manducari possit corpus Christi! Et sane ex ipsorum Sophismatibus non facile te expedes; nisi urgeas,  
quod manducatio analogicè tribuatur corpori Dominico, & pa-  
ni Eucharistico; non vero univocè & equaliter. Hîc ergò cautè  
observabis ex lib. 2. Exerc. Metaph. 4. th. 7. pag. 66. Clar. Dn. Jac.  
Mart. Ubi ita docet; In conceptu analogico conveniunt mandu-  
catio oralis panis, & manducatio oralis corporis Christi in sacra  
cœna Dominica. Nam manducatio oralis panis primario mandu-  
catio est; est enim Physica: manducatio vero oralis corporis Chri-  
sti secundario manducatio est, & propter illam Physicam; ( quia

illud sacramentaliter cum pane unitum est.) Quod observare & scrutari accuratius debent illi, qui ex oralimandatione corporis Christi, quam in nostris Scholis & Ecclesiis defendimus, necessario Physicalm inferri clamitant. Distinguant illi inter genus univocum & analogum: mandationes basce genere univoco convenire negamus; sequeretur enim inde absurdum, quod illi inferunt εὐδοκίας: convenire vero genere analogo affirmamus; quandoquidem illo excogitatum absurdum minime inferitur. Nam licet quidem ipsum esse generis analogi ponatur in omnibus analogatis sive speciebus; differt tamen modus inessendi. Nam aliter inest Ens substantiae, aliter accidenti; substantiae per se, accidenti per aliud. Sic quando dicitur mandatio oralis genus analogum mandationis panis & corporis Christi, eo non negatur mandatio corporis; sed afferitur, in sacra Domini cœna sumi ore corpus Christi; vel, fieri mandationem oralem corporis Christi, cum hactamen limitatione & distinctione; alium esse modum mandationis panis, & alium mandationis corporis Christi; ille Physical & naturalis, hic mysticus & sacramentalis est; illa mandatio est primo talis, hac mediante unione sacramentali propter illam. Hactenus Dn. Jac. Mart. quæ ob necessitatem & utilitatem hic prolixius erant apponenda. Essent & alia ejusmodi non pauca, quibus usus doctrinæ præsentis de analogia inclarescent; sed non licet jam omnia persequi: Judiciosus lector & similia facile secundum analogiæ rationem, in thesibus præscriptam, & applicabit & dijudicabit. Hoc autem reticeri nec potest, nec debet, quantum utilitatis commodat analogia eminentia, quam in thesi 26. & 27. proposuimus. Illa scilicet ostendit, quomodo Terminus secundum perfectissimam rationem, & ita eminenter debeant Deo attribui. Ecce autem! quia homines sumus, non possumus infinitam Dei essentiam distinctè & perfectè cognoscere, sed saltrem qualicunque modo; & quidem illam cognitionem, quam de illo habemus, solemus vocabulis humano intellectui accommodo-

commodatis exprimere. Hinc illa, quæ vel in scriptura deo, Deo revelata sunt, vel ad Deum cognoscendum, in natura proposita, terminis illis, qui & creatis rebus competunt, eloquimur. *Hinc istas voces à naturalibus desumptas, & Deo etiam in sacris tributas, examinare tenemur, quomodo competant Deo.* Ubi sanè insigniter nobis inserviet ista *Analogia*, quam nos vocitamus *eminentiae & perfectionis*; quæ præsentissimum erit subsidium contra hæreticos in defendendis & salvandis terminis Deo attribui solitis. Etenim hic mos est hæreticorum, ut è conditionibus terminorum, quas habent in rebus naturalibus, disperrent, & inde veritatem cœlestem conentur destruere. Quod ubi contingit, in promptu tibi sit analogia hæc nostra, & juxta illam urge, ut termini, antequam ad divina applicentur, liberentur ab omni imperfectione, & secundum perfectionem divinis unicè accommodentur. E. g. Aëternam generationem Filii Dei impugnant Photiniani ex eo, quod omnis generatio diversas introducat essentias; quodq; sit mutatio, ubi id, quod ante non erat, producitur itemq; ex aliis conditionibus è generatione rerum naturalium desumptis argumentantur. *Ex aliis è generatione rerum naturalium desumptis*, sed è dictis ita urge, quod, quia est distantia infinita inter Deum & creaturas, per analogiam debet generatio isthæc explicari, & quidem *eminentias*; adeoq; omnes imperfectiones, quæ adhærent naturali generationi, removendæ ab illa aëterna generatione Filii Dei. Et sanè hoc principium nequeunt tibi negare hæretici, nisi velint res infinitæ distantiae confundere, & analogiam Entis negare, quam satis statuminavimus in thesibus. Sic autem procedes: *in generatione rerum naturalium datur via & terminus.* In via est perfectio quadam, nempe nasci, sive generari; sed insuper adest quædam imperfectio, nempe carentia termini & mutatio, ubi secundum successionem acquiritur terminus præcedentibus alterationibus. Hoc autem accedit generationi ex imperfectione creaturarum: quâ agens

agens creatum nequit communicare suam essentiam ; nisi prius agat in materiam , formâ illâ , quam producere debet , carentem . Confer D. Grauerum excellentiss. p. m. Theologum & Philosophum acutiss. in cent. 1. illustr. quest. Theol. diss. 3. quest. 6. Similiter in termino generationis est perfectio , quæ exprimitur per vocem Natus est ; sed simul adest imperfectio , quod desit actus generandi , quod scilicet sit jam finita illa generatio & non perpetuetur . Et hæc imperfectio accidit creaturis , quod temporis varietate varient per successionem prioris & posterioris . Hæc qui sedulò observat , facile animadvertisit , fraudes in Sophismatis Photinianorum . Etenim secundum analogiam nostram ea , quæ perfectionis sunt , admittat ; reliqua relinquat creaturis . Licet ergò in generatione naturali certatur mutatio ; licet ibi producens & productum sint diversa numero Entia ; licet alia ibi deprehendantur imperfectionis argumenta : illa tamen nequeunt trahi in generationem æternam , quæ est citra omnem dubitationem , absolutissimæ perfectionis . Et ut felicius hîc progredi possis , tres regulas observes : 1. Deus ex abjecta creature conditione non est estimandus . 2. Omnis terminus , qui Deo tribui debet , est abstrahendus , & videndum , quid terminus iste de formalis importet , hocq. unicum Deo tribuendum . Sic generatio formaliter dicit communicationem essentiæ ejusdem , quam habet generans , ut rectè docet Grauu. d. l. Hæc ergò unicè à Photinianis debuisse adsumi , non verò mutatio . 3. Terminus , qui ad divina applicari debet , est liberandus ab omni imperfectione . Et in hoc quām maximè consistit analogica applicatio , ut scilicet cautè agamus in attributione terminorum . Quæ omnia ex dato exemplo constare poterunt . Vid. Clar. Dn. Jac. Mart. lib. 2. de T. E. Cap. 51. & aliis . Hæc hac vice ita monere voluimus ; cum illa analogia Entis nos commonefacere debat ; vel certè ex illa fundamentaliter derivantur . Plura es- sent sane addenda ; sed ratio præsentis disputationis , ne ni- mium

mium excrescat, non patitur. De abusu non est, ut multa dicamus, quivis caveat, ne ipsi imponant adversarii, confusione analogiae secundum proportionem & attributionem, cum hæ sint distinctissimæ. Item ne admittas, si adversarius inferat analogiam tollere veritatem rei, quod non est. Uti id ipsum in analogia attributionis secundum posteriorem modum certissimum est, quæ hoc loco plurimum spectatur & urgetur.

#### AXIOMATA.

1. *Conceptus Entis in respectu ad sua immediate inferiora non est equivocus, neq; univocus; sed analogus.* Ita summatim è dictis dicendum & notandum: cuius axiomatis veritas satis superq; è thesibus constabit. Intelligimus autem per immediate inferiora substantiam & accidentia; item Deum & creaturas; ad quæ entia determinatoria quando Ens contrahitur: analogica attributio instituatur oportet. *Recognosce superius dicta.*

2. *Ens non dicit alium conceptum à differentiis.* Alexand. de Ales in 3. Met. text. 10. Baptist. in Sem. Phil. Arist. nempe alia ita distinctum, ut non essentialiter includatur in omnibus differentiis ejus. Hoc scilicet ejus transcensio non permittit, uti è thesibus ultimis innotescere est. Alias simpliciter non negamus, quod conceptus Entis sit distinctus ab inferioribus; qua de re in antecedente disp. satis prolixè egimus. Saltēm hīc ex abstractione Entis ita ponimus; cum illa non sit exclusiva, ut thesis 2. edocet.

3. *Ens non est commune genus, sed decem sunt summa genera.* Porphy. in 5. vocibus. Licet enim analogum sit, genus tamen propriè non est. Confer Dn. Fac. Mart. lib. 2. Exerc. Metaph. 1. th. 2.

4. *Entis ratio inter omnia prædicata primo & principaliiter salvatur in substantia.* Alex de Ales in 3. Metaph. t. 4. Scilicet potissimum analogatum Entis in respectu ad substantiam & accidens, est ipsa substantia, quæ per se est: accidens vero in

D

est in

est in ipsa substantia, & subjectiva dependet ab ipsa, ut infra  
disputabitur.

5. Nullus terminus Analogicus verè dicitur de aliquo, ni-  
si ratio per terminum significata in eo reperiatur. Soncinas 4.  
Met. q.5. Sic ratio per ens significata, non salvatur in ente ra-  
tionis. Valet autem potissimum de Analogia attributionis.

6. Analogum non opponitur proprio. Est quippe cum  
univoco species proprii, & cum eodem opponitur æquivo-  
co. Unde hīc cautē notandum; quæ analogicē dicuntur esse,  
etiam re vera ita sunt, & proprie dicuntur esse. Sic generatio  
tribuitur Deo analogicē quidem, sed propriissimē & verissi-  
mē. Sicdicitur accidens analogicē Ens: non tamen impro-  
priē est Ens, sed re vera propriam habet entitatem, licet non  
æquali gradu participatum cum substantia.

## QUÆSTIONES I.

*An univocatio Entis aliquomodo admitti possit?*

Satis quidem secundū veritatem rei genitācēgimus de ana-  
logia Entis, in ipsis thesibus, rejecta univatione Entis; quia  
tamen acriter hīc depugnant Scotistæ, omnino intererit anti-  
thesin proposuisse, & argumenta cōtraria examinasse: Ita ve-  
rō colligunt; Ens immediate significat unum conceptū communē  
Deo & creaturis, ergo est univocum. Consequentiam variè pro-  
bant; 1. ex definitione univorum ab Aristotele tradita: ubi ea-  
dem ratio substantiæ requiritur; quæ est in cōmuni conceptū  
objective Entis. 2. ex communi ratione analogi, quod conve-  
nit cum æquivoco in eo, quod diversa impositione signifi-  
cat. 3. quia nulla analogia in Ente locum inveniat, cum juxta il-  
lam vel impropriē, vel extrinsecè alterum denominetur; non  
verò ita Ens dicatur, sed absolute & intrinsecè concipiatur  
tām in creatura, quām in creatore. Verūm hāc tanti mo-  
menti non sunt, ut à veritate nos abripiant. Breviter cum  
Suar. respondemus; quoad primum quidem dicere possemus,  
*Aristotelem in Log. non distinguere analoga ab univocis, sed ad*  
ill.

*illa revocare, ut ita Ens in ordine ad usum Logicum dici possit Univocum ex eo; quod possit esse medium demonstracionis, & simpliciter sine addito dicatur de creaturis, quodq; sit commune, & secundum substantiam; interim Metaphysicè erit analogum, quia non à quali ordine est in inferioribus. Sed melius respondetur negando rationem Entis esse omnino eadem in Deo & creaturis. Nam Deus est Ens, quia à se est; creature vero sunt Entia, quia sunt ab alio. Neg, est quod dicas ita non explicari rationem Entis, ut sic; sed particularem & propriam talis vel talis. Etenim attendes in primis, rationem Entis esse transcendentem & intimè inclusam in omnibus propriis ac determinatis rationibus Entium, & in ipsis modis determinantibus ipsum Ens: ideoq; licet ratio communis, ut abstracta, sit in se una; tamen rationes constituentes singula entia esse diversas, & per illas, ut sic, constitui unum quodq; absolutè in esse Entis. Imò ipsam et ratio communis ex se postulat talem determinationem; cum ordine & habitudine ad unum; licet secundum confusam rationem sit eadem, sicut est una; nihilominus non est omnino eadem, quia non est ex se uniformis, ut rectè docet Suarius lib. 2. disp. Metaph. 28 f.3. Quoad secundum argumentum, respondemus eo tantum inferri Ens non esse ex illis analogis, quæ per Metaphoram, vel translationem dicuntur; interim manet analogum attributio ne utring; intrinseca: ubi illa analogia non oritur ex impositione diversa, vel usu hominum, quemadmodum sit in translativa analogia; sed fundatur in rebus ipsis, quæ ita sunt ordinatae, ut necessario ad unum referantur, quatenus Entia sunt; ideoq; non potuit nomen Entis imponi ad significandum confusè id, quod habet esse; quin consequenter habuerit significare multa, cum habitudine ad unum; atque ita fuerit analogum non per translationem, sed per veram ac propriam significationem. Denique ad tertium respondeo, quod in illo non sufficienter enumerentur omnia analogia. Ut enim è thesibus innotuit, dantur etiam analogia, quæ intrinsecè & propriè di-*

cuntur de significatis secundariis. Ergo frustra pugnant pro univocatione Entis. Ergo haec non debet admitti; neque verò potest, nisi forsitan abusivè loquendo, prout univocum Logicè sumitur pro Synonymo. Sed ejusmodi litem de vocabulis in Philosophia non adeò curamus.

## II.

*An Ens contrahatur ad modum generis analogi?*

Sic fortè quis putet è dictis. Verum sciat aliud esse analogum, aliud genus analogum. Hoc scilicet est strictius isto. Ens non tribuitur suis inferioribus, ut genus analogum. Etenim genus non continetur intrinsecè in suis differentiis, quod omnino de Ente affirmandum esse constat. Hoc autem dicimus, Ens esse conceptum analogicum, & ita contrahi ad modum analogi, precisà ratione generis. Qua de refusis in Colleg. nostro quest. illustr. Miscell. disp. 9. quest. 1.

## III.

*An Deus propriè sit Ens?*

Sunt, qui negant: sunt, qui æquivocè saltem Deum Ens dici censem. Utrumque est falsum. Nam & Deus dicitur Ens & propriè; immo propriissime est Ens. Utrumque ita probamus. Cuicunque rectè, verè & propriè tribuuntur Entis attributa, id ipsum etiam verè & propriè est Ens. At Deo &c. E. Major certa est. Non enim potest affectio sive essentiale attributum esse sine subjecto suo. Et potissimum, quando illa affectio per se inesse dicitur, non verò ob aliud. Minor nequit negari. Redictissime enim dicitur: Deus est Unus, Verus, Bonus, Causa, Principium, Infinitus &c. quæ attributa omnia sunt entis, ut sic. Ergo concluditur, quod non æquivocè, sed verè & propriissime dicatur Ens; quippe, cum propriissima illa Entis attributa Deo competant. Plura disp. 3. quest. 3.

*Coll. Miscell.*

F I N I S.

AB:67 <sup>5</sup>  
c,10

ULB Halle  
003 357 104

3






# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black 3/Color



ATIONUM  
YSICARUM  
ARTA  
A ENTIS, IN  
IN SPECIE,  
am  
orimo illo annuente,  
ate Philosophica  
tiente  
ÆSIDIO  
S SCHARFII  
d. Saxonis,  
d Albin Athenæo  
uni subjicit  
ENTLERUS  
lusatus.  
o Veteri  
s horis à septima  
inis.  
PERGAE  
RISTIANI THAM,  
Typogr.  
OC XXIII.